



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De VVenero monacho, cui B. Virgo in extremis subuenit, cùm à
daemonibus terreretur, cap. 55.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

CIRCA hoc triennium, monachus quidam Wernerus nomine in Eberbacho defunctus est, ætate quidem adolescens & imberbis, sed mente canus: hic cum ante horam exitus sui, sicut ab eius Abbate didici, dæmones circa se videret, illorum importunitate valde turbatus clamare cœpit: Sancta Maria libera me ab istis vilissimis, crebrius hoc repetens. Audientes huiusmodi clamorem hi, qui circa eum erant, satis mirabantur, scientes eum esse taciturnum, & vix ad interrogata respondere. Postmodum respirans & inclinans ait: Bene veniat charissima Domina mea, bene veniat: moxq; manū cōtra dæmones leuās, & eis insultans, subjunxit: Modò iacete vos ibi, modò iacete vos ibi; sicq; post modicum, placido vultu expirauit, angelis gaudiū faciēs in cœlo, sed non modicum dolorem fratribus in monasterio; fuerat enim adolescens bonus & disciplinatus, virgo corpore & mente. Nec dubitandum est, quin in aduentu reginæ cœli, omnis illa turba spirituum malignorum impulsæ sit & dejecta, sicut in ortu solis dispergitur nebula matutina. APOLLONIVS: Si Domina nostra clementissima, in morte peccatoris, sicut supradictum est capite ix. sola sua misericordia dæmonum cachinnos compescuit, non miror, si in obitu huius justī terrores illorum indebitos repressit. CAESARIUS: Bene sentis; dignum erat, vt mater totius castitatis, etiam ante mortem, in suo famulo tam iocunda visitatione remuneraret virtutem virginitatis. Nec hoc miror de perfecto monacho, cum ob eandem virtutem, nouerim suam præsentiam, cuidam sæculari clerico morienti Dei genitricem exhibuisse.

CAPVT LVI.

Quidam Canonicus maioris ecclesiæ in Colonia, cum in extremis ageret, beatam Mariam præsentem vidit, & agnouit: quam visionem cum circumstantibus recitasset, alapam sensibilem inuisibiliter recepit. APOLLONIVS: Quæ fuit ibi culpa? CAESARIUS: Puto quia inanis gloria, quæ mox per eandem alapam